

GAMICA SYNCHARISIS  
 SEV  
 NVPTIALIS  
 CONGRATV-  
 LATIO

DOCTRINA, EXPERIEN-  
 TIAQVÈ CLARISSIMO VIRO, DO-  
 mino IOANNI STENGELIO, Medicinæ  
 Doctori, eiusdemquè facultatis in alma  
 Herbipolensium Academia profes-  
 sori dignissimo, præceptoris suo  
 maximè colendo,

SPONSO:

*Nec non*

HONESTISSIMAE, PVDICIS-  
 SIMAEQVE FOEMINAE MARGARETAE,  
 Iureconsultissimi Viri Andreae Helmutij, piæ me-  
 moriæ, V. I. Licentiati, Reuerendissimi & Illu-  
 strissimi Principis Herbipolensis Iulij &c. con-  
 siliarij meritissimi, relictae Vi-  
 duæ, sponse.

*Cum Herbipoli 15. cal. Iulij nuptias solenniter celebra-  
 rent, grati animi & observantiæ ergo, inscripta*

†  
 A  
 M. PAVLO STROMARIO Ingolstadiensi.  
 =  
 ET  
 IOANNE FABRO BAMBERGENSI  
 Medicinæ Studiosis,

WIRCEBURGI apud Georgium Fleischmann 1596.



S. AVGVSTINVS SVPER PSAL: 29.

Quid prodest integra  
caro mente corrupta ?  
Melius est humile con-  
iugium, quam su-  
perba virgini-  
tas.



CONGRATVLATIO.

NVPTIALIS CONGRATV-  
LATIO M. PAVLI STROMARIJ.

**A**m nouū abEmpyreo diffundit in aëra cælo  
 IgniuomusPhæcthon lumé, iâCynthia pleno  
 Hinc atq; indè salit curru, lux inclyta surgit,  
 Affulgetque nouum mundo iubar; absit acerbum  
 Absit iucundos, si quid perturbat, amores.  
 Auricomi veniunt radij, noua gaudia terris.  
 Sparguntur flores, assurgunt lilia campis,  
 Ridentisque rosæ. Patulos gradiamur in hortos.  
 Te quoque Ioannes, diuini electa Galeni  
 Progenies, noua lux vestit, nouus vndiq; splendor,  
 Præque tibi reliquis animus, præque omnibus vni  
 Diuinum ingenium, pectusque illustre coruscet,  
 Vt merito exulteret studiorum, te auspice, Phæbus.  
 En ducis sponsam, sponsas supereminet omnes  
 Sponfa, cui tales, pingit decor ore, colores,  
 Quales, alba rosis, vbi lilia mista rubescunt,  
 Aut si sanguineo quis ebur violauerit ostro.  
 Carpis & ecce rosam, selectam è millibus vnâ  
 Dotibus ornatam varijs, pietate coruscant.  
 Ducitur in thalamum permagno nupta paratu,  
 Qualiter Æmonij Nereia sponfa mariti  
 Adducta est tædis, nuribus comitata latinis.  
 Sic DEVS omnipotens hominum fâtor atque Deorū  
 Maximus, immensi qui torquet sydera cæli.  
 Sic quondam statuit sacro connubia ritu  
 Sacrataque manu, atque æterno fœdere iungi.

N V P T I A L I S

Gaudeat vt sponsæ summo coniunctus amore  
 Sponsus, corporibus mens sit iuncta vna duobus,  
 Aspiciant claros generosa in stirpe nepotes;  
 Sic tua coniunxit, Medicæ laus maxima gentis,  
 Connubia, elegit sponsam, propriamque di cavit;  
 Sic voluere Dij, diuiniq̄ue alta senatus  
 Consilia, & vastum quæ incedunt fata per orbem.  
 A superis hi sunt monitus, cælestis origo  
 Connubij, (haud dubites) sequitur quoq̄; gratia nexū.  
 Castalides igitur, consueta relumite, Nympha,  
 Gaudia, iucundis Cytharas adiungite plectris.  
 Dicite Stengelij nuptam, noua dicite metra.  
 Iam simul ore fremunt populi, Iuuenesque senesque  
 O Hymen ô Hymenæe Hymen ô Hymenæe sonabunt.  
 Salue sponsarum decus, in clyta Nympha pudoris,  
 Virtutum exemplar, tali dignissima sponso,  
 Hasque, meo exiguo, quas irriquo, flumine, terras  
 Ingredere auspicio fausto, Dislata cubilis  
 Gaudia, fortunentque tuæ connubia tædæ.  
 Tu, (mihî si Proteus non irrita dixit in aurem)  
 Tu dabis Heroum claros paritura nepotes,  
 Qui magno ingenio referent gestuque parentem,  
 Qui superent fama æquales, & fortibus ausis  
 Altum Stengelij tollent super æthera nomen.  
 Salue Stengelicæ laus vna, & gloria gentis,  
 Dij tibi dant sponsam, fœlicia cœpta secudent,  
 Succedant, quæcunq̄ue DEVM vota alma fatigant,  
 Exeat à superis, quicquid mens nobilis optat.  
 Aspicias sobolem fœlix monumenta tuorum  
 Factorum, videas exempla domestica vitæ.

Sic

CONGRATVLATIO.

Sic tibi confortique tuæ, fœlicibus adfit  
Tædifer auspicijs, cui sunt connubia curæ.  
Sic vos alma suo genitrix Æncia Cesto  
Iungat, & æternis concordia nexibus ambos.  
Sæcula Cumeæ veniant optata Sybillæ.  
Sæcula cœlestis veniant optata triumphî.

CARMEN NVMERALE

EIVSDEM.

*Diem, Mensem & Annum nuptiarum complectens.*

IVnIVs en terrIs Dena & septena reportat  
LVMIna; IVngVntVr VlrVte pares & honore.



A 3

EIDEM

N V P T I A L I S

EIDEM ORNATISSIMO, ET RERVM MEDICARVM  
EXPERIENTIA LONGE PRÆSTANTISSIMO  
IOANNI STENGELIO, Philosophiæ & Medicinæ  
Doctõri &c. Præceptõri suo multum colendo. Eius-  
demque sponsæ honestissimæ & charissimæ  
nuptialia festa Herbipoli apparan-  
tibus accinebat boni omi-  
nis ergõ;

IOANNES FABER BAMBERGENSIS  
Med: Studiosus.

**N**oua fert animus, coniunctã dicere dextræ  
Dextram, connubij fœdera, Christe faue.  
Binas, fert animus, connexas dicere in vno  
Sponsorum mentes corpore, SPõNSE faue.  
In pia fert animus, mutatam dicere mortis  
Mœstitiã tædæ gaudia, SPõNSA faue.  
Quisquis ades, benè cedat opus, datur vxor IANO  
MARGARIS, ò sponsis dic benè cedat opus.  
Credo equidem (Nec vana fides) quod numina curas  
Curare humanas non sine lege solent.  
Antea Germanas, Italasque vagate per oras,  
Nunc datur HERBIPOLI cur tibi certa quies?  
Boia tuum Boij cum virgo flagraret amorem,  
Cur datur HERBIPOLI, quæ tibi dicat Amo?  
Sic fuit in fatis quoniam, sic fata tulerunt,  
Sic bina vnanimis pectora strinxit amor.

Quif-

CONGRATVLATIO.

Quisquis ades, benè cedat opus, datur vxor IANO  
MARGARIS, ò sponsis dic benè cedat opus.  
Hic non Nisà daris Mopso, sed digna Marito  
Tali, & te digno coniuge, sponsa venis.  
Sponsa nouas incide faces, perque atria flores,  
Mæsta prius, spargas, & citò pande fores.  
Pande fores, accende faces, venit ecce coruscâ  
Illustrans atras, luce, dolore domos.  
Quisquis ades, benè cedat opus, datur vxor IANO  
MARGARIS, ò sponsis dic benè cedat opus.  
Postquam primus amor fato decepit Elisam,  
Et rapuit charum mors inopina virum:  
Infelix cæli iurat per numina, nunquam  
Quod velit alterius se sociare thoro.  
Sed tamen Æneas, sensus animumque labantem  
Impulit, inflammas pectus Elisa tuum.  
Inuisis ineunt, socialia fœdera amoris  
Dijs, tædas vetitas pœna secuta fuit.  
Numine parcarum primo viduata Marito,  
Signa tui lachrymæ qualia amoris erant?  
Non tamen vt Dido, fidi post fata Maritj,  
Pollicita es nunquam iura subire thori:  
Nam te Natorum natura benigna feracem  
Fecit, honoratæ nomina Matris amas.  
Ergò nouo veterem releuas medicamine luctum,  
Et nouus in thalamo iam tibi sponsus adest.  
Quisquis ades, benè cedat opus, datur vxor IANO  
MARGARIS, ò sponsis dic benè cedat opus.  
Num tua STENGELI Medicorum gloria, obortam  
Funere tristitiam sic Medicina leuat?

N V P T I A L I S

Sic tu, quæ dudum fors abstulit improba mortis,  
 Nunc reddis risum, basia, verba, manus?  
 Turbida tunè venis lætus post nubila Titan?  
 Num tu post hyemem gratia veris ades?  
 Sic est, tu Medicus, Titan, tu Gratia veris,  
 Tu reddis risum, basia, verba manus.  
 Quisquis ades, benè cedat opus, datur vxor I A N O  
 M A R G A R I S, ò sponsis die benè cedat opus.  
 Sed cui sponsa viro nubis? quoue omine tædas  
 Instruis? an felix est tibi cæptus Amor?  
 Ille nouos, sponsus, sociali suppetit ignes  
 Qui thalamo, est medica Doctor in arte tuus.  
 Multa tulit fecitque studens Italisque sub oris,  
 Teutonicisque, sibi quò foret æquus Hymen.  
 Ast decora ante oculos sunt omnia cætera nostros,  
 Dignus honore hominum, dignus amore vir est.  
 Quisquis ades, benè cedat opus, datur vxor I A N O  
 M A R G A R I S, ò sponsis dic benè cedat opus.  
 Et tu sponse, nouæ cui vincla iugalia sponsæ  
 Nectis? queis fatis scemina iuncta tibi est?  
 Non tibi cæcus iter præbebat I A N E Cupido,  
 Consortem thalami cum tibi fata darent.  
 Sat diues, P I E T A T E valens, & origine clara,  
 Quam superi donant, en tibi nubit Amans.  
 Non secus ingentem formicæ farris aceruum  
 Cum populant, ex his vnica cogit opus;  
 Sic operosa domi tua M A R G A R I S instat, & vrget,  
 Ne malè quid pereat, sedula Mater opus.  
 Felices nimium licuit queis nubere sponsæ  
 Tali, his auspicijs numina quosque beant.

Quis-

CONGRATVLATIO.

Quisquis ades, benè cedat opus, datur vxor IANO  
 MARGARIS, ô sponsis dic benè cedat opus.  
 Hæc quoque si vultis ( quid enim nisi maximus vsus  
 Fabulæ inest ) sponsi Fabula plura monet.  
 Ardebat Cephalus mirando Procrin amore,  
 Semper in ore Procris, pectore Procris erat.  
 Seruat vterque fidem tentamina sæpè perofus,  
 Nilque prius thalamis duxit vterque sacris.  
 At Cephalus cœpit, malè ne fortassè iugalem  
 Seruasset Procris, credere quando, fidem.  
 Credula res amor est, & Nympham Procris amatam  
 Falsa dolis, Cephalo credidit esse viro;  
 Sæpè tamen dubitant, metuunt rumoreque falli,  
 Ergò maritalem tentat vterque fidem.  
 Per nemus heu Cephalum sequitur, loca solaq; captat  
 Procris, de ficta pellice sæpè gemit;  
 Et ratus esse feram Cephalus, iaculabile telum  
 Miserat, ah vulnus pectore Procris habet.  
 Occidit, & sensim fugiunt cum sanguine vires,  
 Zelotypæ infelix exitus ille fuit.  
 O vos felices, faustos vos, terque beatos  
 Si non sis Cehpalus IANE, nec Illa, Procris.  
 Quisquis ades, benè cedat opus, datur vxor IANO  
 MARGARIS, ô sponsis dic benè cedat opus.  
 Viuito concordi concors cum compare longos  
 Sponsæ dies, seruet paxque fidesque thorum.  
 Coniugeis felix, gaudebit & illa Marito,  
 Mutua cura duos, & tenet vnus amor.  
 Quisquis ades, benè cedat opus, datur vxor IANO  
 MARGARIS, ô sponsis die benè cedat opus.

N V P T I A L I S

Sponsa Iouis quamuis, semper præponat, amori  
 Dilecti sponsi iura fidemque sui.  
 Nec fiet vsque suo, licet & Venus ipsa veniret,  
 Quam concors thalami charior vlla viro.  
 Sic verè felix sponsus dicetur, eritque  
 Sic flamma ardebit pectus vtrumque pari.  
 Quisquis ades, benè cedit opus, datur vxor IAN O  
 MARGARIS, ô sponsis dic benè cedit opus.  
 Sed satis est, numeros quoniam mihi Phœbe negasti,  
 Quæquè iuuant vates oria, dulce merum.  
 Tædifer adsit Hymen, Ceres almaque fercla ministret,  
 Exhilarat Bacchus corda, chorea pedes.  
 Stultorum à vestris absit male sana libido  
 Tædis, nam rixas virgo merumque cient.  
 Quisquis ades, benè cedit opus, datur vxor IAN O  
 MARGARIS, ô sponsis dic benè cedit opus.  
 Ora breui IANVS referat tibi sponsa, paterna,  
 Parua patris ludat MARGARIS ante pedes.  
 Parca ferox, miseris miserum mortalibus omen  
 Sis bona, duc longâ stamina longa colo.  
 Sponse & sponsa vale, conuiuia vestra secudent  
 Dij, memori vatis mentè tenere metrum.  
 Quisquis ades, benè cedit opus, datur vxor IAN O  
 MARGARIS, ô sponsis dic benè cedit opus.

HOS

CONGRATVLATIO.

HOS SVBNECTE-  
BAT VERSICVLOS IDEM

IOANNES FABER.

**I**STE tibi, Phœbi facie ridente, serenu S  
O N oue sponse dies lucet, thalamosq; V enustat.  
A ccipe quã G enius nunquã tibi, C rede, sinister,  
N ympham docte tuas, E ffundit I ane sub vlnas;  
N um capis? est Clitic, D uo L umina sēper in vnũ  
E rigit, E t tantum vultus miratur I ani;  
S is M eus, & tua sim fatur, sic vult Hymenę VS.

*IN ZOILVM.*

Quod tibi nil valeant aliorum ô Zoile metra,  
Non mirum est, alijs nil tua metra valent.



CONGRATULATIO.

HOS SVBNECTE  
BAT VERRICVLOS IDEM

IOHANNES FABER

ST E tibi, Pochitacio ridere, lacrima S  
O In onofone die, hacten, thalamo, V canat.  
A capere de, e canis nungu, hie, Cede, hie, hie,  
Nymphas, hie, hie, hie, hie, hie, hie, hie, hie,  
N un capite, hie, hie, hie, hie, hie, hie, hie, hie,  
E tibi, hie, hie, hie, hie, hie, hie, hie, hie,  
S it M cur, de canis hie, hie, hie, hie, hie, hie, hie, hie, VS

IN NOVA

Quod tibi nil valent, et non e Nollem, et  
Non minus est, et hie, hie, hie, hie, hie, hie, hie, hie, VS

